

www.e-rara.ch

Pauli Iovii Novocomensis opera quotquot extant omnia

Giovio, Paolo

[Basileae], 1578

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12936>

Pauli Iovii descriptio Larii Lacus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

96

P A V L I I O V I I
DESCRIPTIO LARII LACVS.

D I O N I S I V S S O N E N T I V S N I -

*colao Sfondrato, Comiti Riperiæ, Regioq̃
senatori ampliss. S. D.*

 Vm proximis superioribus diebus Larium mihi lacum adire contigisset, iluc ab ampliss. ordine uestro tui gratia missus, ut quorundam maleficorum hominum, homicidij reorum ditionis tuæ causam cognoscerem, magna animi uoluptate uiridem illum, & uerè gemmeum lacum inspexi, pulchritudinem, eius totiusq̃ oræ illius amœnitatem, crebra oppida, frequentesq̃ populos admiratus: inter alia ad aspectum Bilarij, eiusq̃ altissimi promontorij, duos uel potius tres lacus prospectantis, obstupui. Adeo tenet animum uarijsq̃ modis afficit, & delectat longissimus ille tractus aquarum, dextra leuacq̃ incundissimum oculis spectaculum prebens. Quid dicam de magnificentiss. ædibus ac Regijs, quas ad medium ferè collē habes, quantumuis numerosæ familiæ capaces: quid de perenni saluberrimaq̃ in superiore mōtis parte aqua: quid de pulcherrimis hortis à citreorum & medicorū pomorum amœnitate beatissimis: Quid de toto collē, ficu, olea, cuiusuis generis fœcundis arboribus uiteq̃ in primis generoso uino exuberante, uestito atque ornato: Vt præteream mirabilem illum aditum, ascensumq̃ ab imo lacu ad summum montis per scalas, quæ per octingentos amplius gradus miro artificio è durissimo lapide fabricatos facilem ascendentibus uiam præstant. Ad summam, nunquam aliàs iucundio rem uidi locum: quem tu per iocum, cum me satietas humanarum rerum ceperit, gratissimam mihi sedem, laborumq̃ quietem destinas, ac offers. Munere illo functus domum cum rediissem, tibi que quid mihi de regione illa uisum foret, percunctanti, quantam cepissem uoluptatem, exposuissem, dixisti uelle te mihi delectationem eandem renouare, oculisque loca eadem sine ullo uiaē labore subiicere, proferri que statim ex bibliotheca tua Pauli Iouij libellum quendam iussisti, quo ille iucundè simul & eleganter totius Larij lacus amœnissimum situm, locorum a hominum utranque ripam habitantium, nomen ingeniumq̃ describit. Hunc ille libellum in gratiā patris tui uiri clarissimi, & nunquam satis laudati, olim scripserat. Auide paucis horis totum perlegi, uisusq̃ mihi dignus est, qui publicè cunctis legendus præberetur, pulchrumq̃ in primis tibi, & honorificum esse iudicaui, si in manus hominum exiret. Magna enim ex parte in describenda ditione tua est occupatus, quam ad Larij dexteram ripam magnan. amplamq̃ summa cum dignitate obtines, & iustissimè regis. Rectè itaque iudicio meo feceris, remq̃ tibi ac nobilissimæ familiæ tuæ honorificam, si tam elegantis opusculi copiam orbi quamprimum impertiueris. Quod te facturum summa prudentia tua, amoreq̃ erga cuncta studiorum genera mihi facile persuadeo. Vale. Mediolani, Calendis Iunij, 1558.

PAVLI

97
PAVLI IOVII
LARIVS LACVS.

AD FRANCISCVM
Sfondratum.

LOMENSEM Lacum, Franciscæ Sfondrate senator amplissime, ab Etruscis Larium, uti omnium Italiæ principem, antiquitus appellatum fuisse, Cato in Originibus tradit. Ad quod Virgilius Maro, antiquitatum eruditissimus, quum in Georgicis, TE LARI MAXIME, diceret, alluisse uidetur. Eius oram, in qua eximiæ nobilitatis tetrarchiam tibi & posteris tuis uirtute quæsiuisti, periucunda nauigatione percurrimus, annotauimusq; diligenti commensuratione utrinque littora lambendo, sinus, promontoria, peninsulas, fontes, sigillatimq; oppida & uicos, ac in his quæ literarum memoria, & laude digna uidebantur, ut id, quod à me proximis diebus optimo iure postularas, cumulatè, nec sine celeritatis gratia solueretur. Efficit autem Larium, aut certè in immensum adauget Abdua, limpidissimus amnis, qui ab Abdua monte, à quo nomen accipit, excelsæ Rhæticarum Alpium iugo delapsus, raptis secum multis torrentibus in Larium per Volturenæ uallem exoluitur. Adulam pro Adua corruptè legimus apud Ptolomæum: nam ex ea uox Græcè inaccessum significat, ita ut hinc liquido constet, montem à Græcis nomen accepisse. Is enim & hodie Grauius appellatur, maximorum amnium fontibus nobilis, siquidem Danubijs Rheniq; origines, in aduersa Aduæ regione referuntur. Adiacet Graij radicibus Burnium oppidum, ad urbis effigiem maximè turritum, aquarum calidarum balneis ad pituitæ morbos percelebre: nec multum inde absunt Abduæ fontes, argenti fodinæ, secturæq; ferrariæ, & in rigentibus gelu cautibus crySTALLUS, pari periculo, quæstuq; à montanis hominibus colligitur. Has Aduæ rupes Claudianus Poeta, quum Stiliconem aduersus Gothos armato exercitu in Germaniam penetrantem celebraret, iucundissimè descripsit his uersibus:

*Protinus umbrosa uestit quæ littus oliuæ
Larius, & dulci mentitur Nereæ fluctu,
Parua puppe lacum præteruolat ocyus, inde
Scandit inaccessos brumali sidere montes.*

Et alio in loco,

*Sublimis in arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rætia syluæ,
Quæ se Danubij iactat Rheniq; parentem.*

Et alio in loco,

*Sed lacus Hesperie, quo Rætia iungitur oræ,
Præruptis ferit astra iugis, panditq; tremendam
Vix æstate uiam. multi ceu Gorgone uisa
Obriguere gelu, multos hausere profunda
Vasta mole niues: cumq; ipsis sæpe iuuentis
Naufraga candenti merguntur plaustra baratro;*

Interdum subitam glacie labente ruinam

Mons dedit, & trepidis fundamina subruit hastis,

Pendenti malefida solo, per talia tendit

Frigoribus medijs Stilico loca.

Ab his Alpibus Abdua sexaginta millium cursu in Lariū decurrit, medianā Volturenā uallem proscindens, adeo multis mæandris tortuosus, ac ingentibus impeditus saxis, ut nec tuto rates sine remige profluenti committantur. Eam uallem celebritate insignium oppidorum & præstantissimi uini foecunditate ditissimā, C. Sempronio, uetustissimo Italicarum rerum scriptori, notā uidemus. Id uinum facile inueteratur, & in multos sæpe annos perdurat, fitq; odoratus, quum maximè canescit, tanta potestate ut ab honore mensuram in uarios medicinæ usus transferatur, melleo utiq; liquori, quā perspicuo uino similis. In infima uallis parte ad ostium Abduæ Lariū influentis Volturenā urbem florentibus Etruscorum rebus ædificatā fuisse, Paulus Longobardus asseuerat, de cuius situ, ruinisq; suo loco dicemus. Decet enim à Como patria, unde ei hodie nomen, descriptionem lacus exordiri. Nam portu urbis egressi ad lauam enauigauimus usque ad extremum lacum, ut inde per aduersa demum littora confecto circuitu reuerteremur. Orobiorum stirpem esse Comum, Cato in Originibus tradit. Nam Græcos, qui colonijs suis terrarum orbem compleuerunt, authore Cornelio Alexandro magnā Italiæ partem imperio tenuisse constat. Hi crescentem à paruis initijs urbem, Græco nomine Comum, id est Vicum appellauere. Cæterum à Gallis Senonibus, qui Etruscos, Græcam gentem, uictoricibus armis summa Italiæ parte depulerant, Comum adauctum, & planè conditum fuisse, Trogus Pompeius auctor est, eo ferè tempore, quo Mediolanum & Bergamum, & Brixiam ab iisdem Senonibus ædificatas legimus. Verum Comenses, supra uetustatem originis, Cæsaris dictatoris magnificentia & patrocínio nobilitantur, quando incomparabili iudicio uir, opportunitate, amœnitateq; situs, ut credi par est, inuitatus in eam urbem nouos colonos deduxerit, in quibus ad quingētos nobiles Græcos fuisse Appianus, & Suetonius tradunt, unde & Græcorum familia honestissimi nominis, apud nos adhuc uiget; & id Græcis literis inscripti scilicet abundè testantur. Verum non aliunde magis claritatem appetimus, quā ab ipsis Romanæ magnificentiae monumentis, quæ passim & in urbe, & in agris uel nihil tale indagantibus occurrunt. Ea diligenti, eruditoq; studio Benedicti Iouij fratris excerpta, relataq; in iustum uolumen, quum historiam patriam scriberet, apud exterarum gentes lectitantur. In ædes quoq; nostras nuper transtulimus ingentis epistylj fragmenta, Cæsariani, uti arbitror, theatri titulum cubitalibus literis lōgè pulcherrimis exprimentia, eiusq; triumphī marmore candido calata effigies in amplissima tabula è ruinis emerit: & ad nos quoque summa cum uoluptate delatum est Cæsaris dictatoris caput, colossæ propemodum statuæ, habitu pontificis maximi, infusa uelatum, uti persimilem uidere licet in numismatibus argenteis: ita ut aliquando speremus, ad publicam dignitatem, ex eodem loco statuæ truncum, & non multis quidem operis eruturos. Orta igitur à Græcis urbs nostra, condita à Gallis, à Romanis illustrata, duos Plinius æternæ dignitatis uiros protulit: & paulo ante Cæciliū poetam, Catulli sodalis sui carmine celebratum, Attiliūque grammaticum, Plinij Cæciliij laude, & marmorea base apud nos illustrem. Promeruerat enim ille uirtutis & pietatis ergo à gratif-

à gratissimis ciuibus, quum liberaliter artem professus, ex testamento uniuer-
sam substantiam suam ad rempublicam pertinere uoluisset. In eius basis latere
& hoc quoque præter titulos suauissimum distichon incisum est,

Morborum uitia & uitæ malè maxima fugi:

Nunc careo pœnis: pace fruor placida.

L. quoque Fabati, qui Plinij Cæcilij profocer fuit, eximiæ magnitudinis elo-
gia uisuntur. Is Fortuna, & dignitate amplissimus, auctore Cornelio Tacito,
aduersus Neronem orbis portentum, uel hoc uno consilio illustris generoso
spiritu coniurarat. Et eius Caninij quoque liberalitatis marmorea monumen-
ta extant, qui sub Traiano bellum Dacium Græco poemate exorsus, crebris
Plinij cohortationibus accendebatur, ut aliquid ederet, quod esset perpetuo
suum. Neque mirum est, Cæsarem, hunc potissimum deducendæ coloniae
situm delegisse, inhabitasseque eam, aut frequentasse summæ claritatis uiros,
quum Plinius Cæcilius, & Cassio ad copiam rerum omnium præcellentem,
ad incomparabilem subuectionum commoditatem, ad cœli temperiem, &
denique ad ipsas humani generis delicias constitutam fateantur. Quicquid e-
nim mirum in modum excultæ montium radices ferunt, quicquid syluosa, ex-
celsaq; nemora humanis usibus præbent, quicquid in herbidis ac insertis cœ-
lo alpium iugis armenta progenerant, subiectus, & seruiens lacus excipit, ur-
biq; dominæ facili conuectione dilargitur: qui demum undique piscosus, &
pascim olea, uite, lauro, citreisq; nemoribus littora redimitus, lætissima facie
nauigantibus arridet. Quatuor montes quadrata facie planiciem includunt,
in qua urbem ipsam fluuiatili cancro persimilem positam, ab alto cōspicimus.
Duobus enim suburbijs, Coloniola scilicet, & Vico influentem, lunato sinu
Larium duabus ueluti chelis amplectitur. Ab aduersa uero parte suburbium,
quatuor ferme stadijs inter Orientem atque Meridiem exporrectum, molliter
inflexam extendit caudam. Vbi uero coeuntium inter se montium fauces iti-
nera coarctant, pinnatæ quadrati lapidis ingentes portæ, singulos aditus præ-
cludunt, opportunæq; totidem in excelso arces ingressus militares tuentur. Ab
ortu Castrum nouum apparet, fatiscente iam subtus tota rupe, ruinæ modo
collapsum. A meridie Baradellus, Luitprandi Regis opus, Turrianorum Prin-
cipum carcere insignis, in edito iugo conspicitur saxosæ uiaë, quæ tēdit ad Hel-
uētios. Ab Occasu insidet Carnesium castellum, cuius conspicua turris in pri-
uate uillæ peristerium abiisse uidemus. A Septentrione autem Larius consum-
pto cursu in urbem diffusus, ueluti mole sua, summotis latè montibus, ipso por-
tu subiectæ urbis excipitur. Intra hæc circueuntium montium septa, campi ali-
quot stadiorum urbem circundant, aut segete nobiles, aut uirentibus pratis
iucundi, aut hortensibus delicijs florentes, quæ omnia ad ocij uoluptates, &
hippodromon, & gestationes, & amœna ambulanti bus spatia præbent. Mon-
tes ipsi castigatis apicibus, & compresso ad æquissimam planiciem dorso, uel
in summa iuga carris permeabiles, ab aprico littore uinetis, & frugiferis arbori-
bus exculti, ornatique frequentibus uillis & templis, spectantium oculos mirè
implent, nec tamen exatiant: quin ad salubritatem uentos arcent, Boreamq;
præsertim flexuosis obicibus frangunt, ita ut mirum uideatur, niuosis inclu-
sos montibus mitiorem experiri hyemem: & diuersa pariter ratione, neque
æstuosos solstitij dies, ingentibus protecti umbris, neque per noctes ardentis
Caniculæ uestigia, sed aerem suauibus auris mitigatum sentiamus, quando

Mediolani tã prope per hybernos dies rigidior matutina aura, uti ab expedita planitie rapidius incidente, gelata ora hominum abradantur, & in refertissima urbe immodicis æstate feruoribus torreamur. Porro ab aduersa parte, qua in se ipsos obiecti solibus cadentes umbras excipiunt, præalta nemora ostentant ad uenationes, ad aucupia opacissimosq; recessus, ita ut passim ueluti æstiuis uoluptatibus arridente natura, & frigidi fontes subsiliant, & auiculæ decantent, & umbrosa diuerticula ad quiescendum uiatores alliciant. Sed ne dulcedine patrie fusiis lasciuires uideamur, subiiciemus epistolâ Cassiodori, qui hæc poetico more iucundissimis tractibus celebrauit. CASSIODORVS, Gaudioso, Theodorici Regis epistolarum magistro, salutem dicit. Cum multis itineribus 10
Como ciuitas expetatur, ita se eius possessores præ ueredorum assiduitate fugerunt esse fatigatos, ut equorum nimio cursu ipsi potius atterantur, quibus indultu regali beneficium præcipimus custodiri, ne urbs illa positione sua libenter habitabilis rareseat incolis, frequentia læsionis. Est enim præter montium deuia & laci purissimi uastitatem, quasi murus quidam planæ Liguriæ, quæ licet munimen Claustrale probetur esse prouinciæ, in tantam pulchritudinē perducitur, ut ad solas delicias instituta esse uideatur. Hæc post tergum cæpestria culta transmittit, amœnis uectationibus apta, & uictualibus copijs indulgenter accommodata. A fronte sexaginta millibus dulcissimi æquoris amœnitate 20
perfruitur, ut & eius recreabili delectatione satietur, & piscium copia nullis tempestatibus subducatur. Merito ergo Como nomen accepit, quæ tantis letatur compta muneribus. Hic profecto lacus nimis amplissime uallis profunditate susceptus, qui concharum formas decenter imitatur, spumei litoris albore depingitur, circa quem conueniunt in coronæ speciem excelsorum montium pulcherrimæ summitates: cuius oræ pratorum liminibus decenter ornata, quasi quodam cingulo Palladiæ syluæ perpetuis uiriditatibus ambiuntur. super hæc frondosæ uineæ latera môtis ascendunt. Apex autē, quasi quibusdã capillis castanearum densitate crispatus, ornante natura depingitur. Hinc riuus 30
niueo candore relucens in arctâ laci altitudinem præcipitati descendunt, cuius sinibus ab Austro ueniens Abduæ fluuius faucibus apertis excipitur. Qui ideo tale nomē accepit, quod duobus fontibus acquisitus, quasi in proprium mare deuoluitur, qui tãto impetu uastissimi æquoris incidit ut nomē retinens, & colorem ad Septentrionē obesiore alui uentre generetur, putes quãdam lineam fusciorem in aquis albetibus esse descriptã, miro p̃ modo influentis discolor natura cõspicitur, quæ misceri posse simili liquore sentitur. Hoc & in marinis quidē fluctibus fluuiorum inundatione contingit. Sed ratio ipsa uulgariter patet, ut torrentes præcipites limosa fæce corrupti, uitreo sint æquori discolors. Hoc autē iure putabitur stupendum, quod simile tantis qualitatibus elementum per pigrum stagnum uides ire celerrimum, ut amnem per solidos cãpos putes decurrere, quem se peregrinis undis non uideas colore posse misce- 40
re. Quapropter incolis harum rerum iure parcitur, quando amœna omnia delicata sunt ad labores, & facile onus afflictionis sentiunt, qui uti similibus delicijs consueuerunt. Fungantur ergo munere regali perpetuo, ut, sicut gaudent natiuis epulis, ita eos exultare faciat munificentia principalis.

Hanc urbem beatam delicijs, florentem opibus, & libertate, fortunaque sua gaudentem, conspiratione quatuordecim ciuitatū Mediolanenses ab hinc annis quadringentis, imperatē Lothario in cineres redegerunt, auctore & principe

cipe Iordane Cliuio eorū antistite. Is trinis castris post diu obsessam, oppugna-
tamq; urbem eò Comenses, ab insulanis socijs desertos adegit, ut desperatis re-
bus, cum liberis, ac uxoribus classe profugerēt, & urbs deserta, spectante ciuiū
classe, cremaretur. Cuius diri belli historia inepto, sed robusto carmine decāta-
ta, in archiujs Comensiū religiose custoditur: cuius auctor est M. Cumanus,
qui bello interfuit, & pleraq; alia pedestri demū stylo in tāta eius seculi scripto-
rū orbitate, nobis grātissima scriptitauit: sic enim tumido uersu opus orditur:

- Bellum, quod gessit populus cum gente superba: Annis ab ea clade uiginti-
tribus, quum ingruenti in Italiam Federico Aenobarbo Cæsari, Comēses uin-
1. dictæ libidine, prestō fuissent, in quota solatijs parte Mediolanum barbarorum
sæuitia deletum uiderunt. Tum uero Cæsar, ut socijs gratiam referret, Co-
mum restituit: immunitate, libertateq; donauit. Eam uero liberalitatem Cæ-
sar Augustali diplomate ex latissimis membranis, quæ adhuc incorrupta ser-
uantur, benignè testatus est: eius quoque auspicijs, quæ uidemus, mœnia,
& turres eximij operis Comenses ædificarunt: auctaque demum est opibus
ciuitas, mercaturæ, lanificiique præsertim industria, quum laneos pannos
in Orientem usque transmitteret. Industria ergo opulentiam fecit, è qua
mox superbia orta est, quæ intestina bella peperit: atq; ita insanis factionibus
seruientes Vicani Rusconiꝑ familiæ principes, alternante Fortuna partiū suc-
2. cessus, urbē euerterunt. Eo modo attriti mutuis cladibus, urbe latè incēdijs de-
formata, tædio calamitosæ libertatis, ultro in ditionē Actij Vicecomitis conces-
serunt. His ab Actio ducentis annis bis urbs nostra rediuiuis opibus resurgēs,
direpta est semel à Pandulpho Malatesta, imperante Insubribus Ioāne Maria,
cui inhumana crudelitas dignū uitæ exitum parauit, iterū ante sedecim annos
ab Hispanis, quū syncerè deditis auuiditate prædę fidem uiolassent. Secutum de-
mum est execrabile id bellum inter Cæs. & Franciscum Sfortiam, quod toti I-
taliæ fatale fuit, ut omniū simul fortunæ conciderent: quo tēpore Petrus Arias
Hispanus inusitata tyrannide ita Comenses afflixit, ut sub hac prægrauī tribu-
torum pondere fatiscentes, quo nunc premimur, nihil iam de salute speremus,
3. nisi hoc Gallico bello Cæsar aut optimam pacem, aut optimam uictoriā sibi &
nobis attulerit: sed cum hæc amariōres nos reddant, ad Larij delicias reuerte-
mur. Igitur ad læuam è Vici suburbano soluentibus, ubi opacissima Plinij Pla-
tanus olim fuit, epistolis eius celebrata, in cuius memoriam honoremq; Musæ-
rum, & Apollinis, iucundissimi prospectus Musæū nostrum ædificamus, oc-
currunt quinq; uillæ ad radices Olympini mōtis, qui cōtra portū respicit, Gru-
mellia, Succota, Cerasia, Tabernula, Gerentiana, æquis ferè spacijs inter se distā-
tes. Hinc uertente se in orbem Olympino in Lariū effunditur Blesia flumen &
lapideo ponte oblongo, & frumentarijs molis, & in ostio Troctæ piscis captu-
ra insignis. Eum piscē antiquitus Lupū appellatū fuisse, in libro de Romanis pi-
4. scibus abundè mōstrauimus: datur enim ei palma, qui Maio mēse in ostio Ble-
siæ sit captus. Ultra pontē cœnobium, oppidulū ex ambustis ædificijs, & stru-
ctura interrupti portus paucis antè annis opulentū. Paulo supra cœnobium, ad
secundas excelsi Busbini mōtis radices, uisuntur Platea, Rubēna, Toldinium,
rara, sed eximij tritici fruge gaudētes. In summo cacumine cum templo Deipa-
ræ uirginis specula est admirabili prospectu. Inde Larij fluctibus alluuntur Ga-
rinia, & Speciana, honestissimorum ciuium uillæ. Sequitur nobile ficetis, &
regulari lapide Multrasium in ualle algida sonātis amniculi umbrosis cotibus

impositum. Indirecto itinere sequuntur Furij geminę sacrę turres, & mox Caractum, lapicidis & naualibus fabris frequens. Hinc paulum sese Larius terris insinuat, & dum rursus refugit, Lellium exigua cuspide in undas porrigitur, oliueta passim & in primis Curtianas elegantes uillas ostentās. Inde demum lunatis utrinq; ripis Turregię promontorium excurrit, adeo ut à Careno oppositi littoris non amplius decem stadiorum spatio distet: neq; alibi Larius angustior reperitur. Is uicus agrum habet accliuus & ob id gradata planitie, uite, olea, lauris, & fontibus peramœnum, ita ut is situs toto lacu mihi potior uideatur, qui ab aliquo priscę elegantię, & arridentis fortunę uiro luculentis ædificijs debeat exornari. A Turregia rursus littora sensim curuantur, prolatatoq; 10 sinu uisitur Biennium in ardua, & aprica montis radice propendens. Inde duodecim fermę stadijs adest Arcennium, in intimo recessu perampli sinus positum, ædificijs, arce, priuatis turribus, & lapideo ponte nobilis uicus. Interfluit enim medium amnis ex umbrosa ualle delapsus, quā iter est octo millibus passuum ad Lugani lacum, per Inteleuinam uallem multis frequentem pagis uenationeq; & aucupijs iucundam. Ab Arcennio stirpem ducunt Lauizarij, uigente olim Vicana factione Comi opibus potentes: quorum unus hodie Arcennij Georgius multa hospitalitate nobilitatis nomen tuetur. Dum Arcennij sinu uehitur, ad læuam in arduum montem, & subamaro quidem ascensu, unde illi Græcum nomen, suspicitur Picra oppidum cum arce, frumenti candoris, & 20 magnitudinis eximię ferax. Gloriatur & rapis Nursinis æquę similibus. In ora cum fornicato ponte, qui regiam uiam sternit, Camogia torrens, atq; inde Colonium ignobilis pagus: Tum uerò fons largus, frigidus, perennis, ab oliuetis inumbrantibus nomen accipiēs. Is saxeo naturali cratere tantisper retentus, dum uiatores & nautę potant, in lacum effunditur. Sala demum pagus occurrit, cum uetusta arce in edito, negotiosis piscatoribus frequens. Hinc enim incipit Euripus ille Gemmeus Cæcili Plinij, à multa intercurrentium piscium captura pernobilis. Contra id Salaniani littoris spatium porrigitur insula, protenso in longitudinem dorso, cadauer antiquę urbis decreto Comensium nauigantibus ostentans, ut eius pœnæ exemplo Lariani populi parentem suam 30 Comum urbem fidelius colere moneantur. Fuit hæc clara Gothorum temporibus, qui tantum in eius urbis munitione confidebant, ut in ea totius gētis thesauri conderentur. Paulus Longobardus in historijs scribit, Comacinam insulam in Lario lacu ab Ariperto Longobardorum rege, captā euerfamq; fuisse, quum forte in eam Ausprandus, Luitperti pueri Regis nutricius & tutor, prælio ad Nouariam uictus profugisset. Cæterum post Caroli Magni aduentum, qui Longobardicum regnum euerit, instauratam insulam inuenio. Ab hac louiorum familia nostra originem trahit, extantq; opulentię maiorum nostrorum monimenta, diuę Marię Magdalengę templum, in Stabio uico contra insulam per Euripum breuissimo duorum stadiorum traiectu distans. Ei maiores 40 louij agros ex fundis suis, in alimenta egenorum, uiatorumq; liberali pietate contribuerunt: & per sexcentos annos manet apud nos incorrupta dicendi præfecti, & sacerdotis prærogatiua. Propterea & hodie quoque in gentilitio insigni, ad argumentum originis, castellum insulę ambiente Lario, impositum gestamus, addita Romana Aquila, qua Federicus Aenobarbus domum nostram honestauit: sicut & dudum columnas Herculeas, munere Caroli Quinti Cæsaris, studijs nostris impensę fauentis addidimus. Post deletum uerò

uero Mediolanum, Comenses, Aenobarbi opibus adiuti, recentem Insulanorum perfidiam uindicantes, Insulam funditus euerterunt, Insulanis Varenam migrare iussis, ad publicam seueritatem decreto adiecto, ne quis unquam in Insula ædificaret: ita ruinis ingentibus deformata, quadringētis annis permansit: hodieq; durante tantum templo, quod religione inuiolatum fuit, solis cuniculis habitanda relinquitur. Contra insulam, Spuranum, Stabiumq; & ulterius Canonica uocatum templum archisacerdote & reditu celebre. Inde Balbianum, quod Insule suburbanum fuit, ubi maiorum nostrorum reliquias, fundum scilicet, & ruinas magnificentiae singularis ædes possidemus. Balbianum à Campouico, interlabente Perlana, infestissimo torrente dirimitur. Is à ualle prærupta defluit, in qua antiqui monachi in syluestri admodum loco diui Benedicti templum posuerunt, non longè ab Ossucio uico largissimi fontis, & olearum copia celebri. Ceterum à Cāpo oppidulo Isthmus incipit, quo promontorium Lanaetum, nemoroso dorso, & excelsæ arcis uestigijs superbum, terris innectitur. Id magno ambitu adeò in diuersa littora porrigitur, ut superioris Larij tractus, & ipsi Insulae & ipsae quæ notauimus, quinque pagis penitus abscondatur. Humani capitis effigiem id Lanaetum præbet, ita ut Isthmus ceruicis locum obtineat: distant uero littora minus stadijs quinque, intercedente peramœna planitie, cuius iugera propter eximiam rerum omnium fertilitatem uiginti aureis auidè coemuntur. In angusta ceruicis margine turris Vacania uisitur, Aquilonibus hyeme perflata, sed æstate umbris iucundior. Sequitur concauo littore Lennum, templo, & sacerdotibus, ædificijsq; pluribus, & priscae antiquitatis monimentis memorabile. Ad Lennum proculdubio uillam Plinij fuisse iudicamus: quam ille Lario incumbentem, à depresso littore Comœdiam appellare solebat, atq; inde facile è fenestris, & è lectulo piscabatur. Supra suspicitur cœnobium, ab algido fonte Aquafrigida nuncupatum, unde ab excelsa peramœnaq; porticu cuncta littora, & nauigantium cursus despectare licet. In extremo uero promontorio diui Ioannis templum fluctibus alluitur, è quo per turbidas tempestates noctu, tanquam è Pharo, sacerdotes nauigantibus lumen præbent. Inde rursus littora recedunt, efficiturq; Larius lato pelago similis. Nec multum abest à Lenno Buzanicum, & mox diui Laurentij templum ad littus. Hinc molli flexu terreni colles, consiti uinetis, paululum excurrunt, donec producta cuspidè ad laeuam recedant introrsus. A Tremetio pago Grian-tei uini præstantia, & foecunda planitie percelebri, aliud promontorium, nequaquam scopulosa, aut motuosa collium prominentia, sed plana, redimitaq; oleis, & uitibus, in Larium procurrit. Hinc Catenæ Apiae nomen nautarum temulentia fecisse uidetur: qui ibi, ueluti expleto mediæ nauigationis cursu, à remigij labore libentissimè cōquiescunt, quum nullibi liberalius, aut meracius caupones præternauigantibus propinent. Inde se littus ad Occasum recuruat, sinumq; efficit, in quo positum est Minacium, Francisco Caluo poeta nobile, & maximè clarum, marmoribus priscis quæ Minicij, Flaminis Titi Vespasiani titulos ostendunt: memoria nostra honestissimis uiris, atq; diuitijs florabat: nunc factionibus, & bellorum incommodis diu quassatum, exusta magna tectorū parte, penè funditus interiit. Minacianis finitimi sunt Caneriones qui uallem incolunt ad Lugani lacum pertinentem. Id genus hominū ingenio factioso, sagaci, & maximè cruento, perpetuas dirasq; in ea uicinia contentiones exercet. Sequitur Nobilius uicus, atq; inde abruptè cautes, quæ Saxa raucida

uocantur: per eas incisa est uia militaris, quæ in Germaniam ducit, & Regia uocatur. Illac, ad sagittæ iactum, nemo sanus eques transit, quum fallente uestigio in subiectum à præalta rupe lacum, horribili despectu uertente oculos, facile prouoluantur. Inde Caieta accliuæ & aprico sinu gaudet, patrum memoria consito Creticis uitis, his etiam nunc dignitatem originis prædulci sapore tuentibus. A Caieta statim illæ rupes, sed iam nemorosæ nec iumentis omnino difficiles, in Lariū exeunt timido quodam procursu, donec Aquæ Sericæ profluētis impetu frāgantur: ita Saxa raucida desinunt. Supra Sericæ uallē eiusdem nominis, & paulo editius posita uisitur Breia. Inde recto littore Calaguritani ordinis cucullatorum cœnobium aditur, cum Deiparæ Virginis insigni templo, in ue-
1. stibulo populeum habens, quod fluctibus alluitur, hortosq; citreis & medicis arboribus longè latissimos. Ibi uetustæ ingentis arcis radices uidere est, quibus oportunè superædificatum esse tēplum animaduertimus. Duobus inde stadiis, æquissimo peramœnoq; littore, Rhætionicum abest, oppidū uiris ac ædificijs frequens, & copijs multarum rerum abundās: nam montes, qui supra sunt egregiè percoluntur ab indigenis hominibus maximè laboriosis, & faciendæ fabrilis operæ longinquas regiones magno quæstu petentibus. Commendatur & id oppidum Turrianæ familiæ antiqua stirpe, è qua nomen ducit Paulus contribulis noster à lectissimarum literarū elegantia medicus insignis. Oritur statim à Rhætionico eiusdem nominis promōtorium, turrita arce con-
2. spicuum, atq; inde littora sinuoso tractu ad Musium oppidum reflectuntur. In medio sinu duo templa, quæ inter se paucis stadiis distant, fastigiatis eleganter sacris turribus conspicua Vito & Martino diuīs dicata. Porro Musiū, ab sæue infestæ p̄ arcis memoria cunctis ferè Larij accolis execrabile, portum habet quadratis silicibus extructum. Adsurgit uero supra ascensu multis gyris, & flexibus uerrucosa rupes, in qua sita erat summa arx & specula totius lacus, trinis per gradus castellorum munitionumq; Coronis circumdata. Eam paucis antè
3. annis extruxerat Triuultius, bello clarus, & demū Iacobus Medices Insuber, per occasionem bellorum custodiæ impositus occupat. Hunc demum graui bello domitum inde expulit Franciscus Sfortia, adiutus Heluetiorum Rhæto-
4. rumq; auxilijs, qui eas arces finitimis funestas, cum ingenti ruina tantorū operum radicitus euerterunt. In Musiani promontorij latere maiores nostri cādi di marmoris fodinas inuenēre, quo templum maximum Comi, magnificè constructum exornatumq; unius seculi labore, conspiciamus. Ea uero rupes, ut diximus, in ostentationem tot castellorum exporrecta, alterū sinum aperit, Musio aduersum interuallō, per conuexa mōtis mille passuum. In hoc Aduncum oppidum cubat, & ipsum multis uicis exiguis per latera montium sparsis, opulentum. Rursus ab Adunco, quod ab effigie littoris nomen accepisse uidetur: æqua planicies uinetis cōsita, proscissaq; aratris, terrenam linguā sensim effert, absconditq; Grabadonam, quæ secundum Bellanum, de quo mox in dextro lit-
4. tore dicemus, toto Lario summā obtinet claritatem. In prominentia sunt geminæ sacræ ædes conspicuis turribus, & paulo altius à littore Augustiniani ordinis cucullatorū cum eximio templo cœnobium. Inde ipsa sinuatis ripis Grabadonā in longum producit. Ibi nuper Curtonū familiæ domestici apparatus lautitia, honestissimis opibus, & clarorum uirorum hospitij florens, intestina rabie per mutuas cedes se ipsam ad non dubium interitum confecit. Sequitur in proximo Domasiū, Grabadonæ par, si utriusq; agri dotes æstimemus. Inde
rursus

rursus planum & arborosum litus paululum prominet, occultato Geræuico, ad quem paucis inde stadijs Suricum succedit, quod ultimum cōsummati cursus portum nauigijs grauioribus præbet. E regione Surici Volturrena uallis petitur, breuissimo traiectu, sed maximè uadoso, propter Abduæ supra irrum pentis impetum. Suis enim uorticibus, nihil propè commistus, sed discolor Larianis aquis, arenę cumulos trahit. Propterea auorum nostrorū memoria Picininus, clarissimus Imperator, quum acie dimicaturus cum Venetis copijs, exercitum traicere properaret, tardatibus nauigijs, subitarij operis subliciū pontem incredibili celeritate cōstituit, atque inde mox prouectus, insigni parta uictoria, hostes cecidit. Earum sublicarum exesi stipites adhuc apparēt apud Oloniam turrem, quam nuper Rhæti diruerunt. Non lōgè ab Olonia Volturrena urbē antiquitus fuisse constat, quæ Valli nomē dedit: uisunturq; hodie uestigia dirutæ urbis ad Burgumfranconem, unde fossa nauigabilis ad Delebium usque perducitur: sed ea per æstatem tabanis, & culicibus infamis stagnante ibi Lario, & inclementem reddente aerem. Existimant id fuisse opus Francilionis, qui Mauricij Cæsaris auspicijs, cum Longobardis ad Comum, & in Comacina insula, Volturrenaque ualle bellum gessit. Ab Olonia turre ad Liuionem excelsum mōtem, recta margine desinens Larius paludes relinquit, quæ Volturrenæ uallis frontem aperiunt. Ea in dextram inter Aquilonem, & Orientem solem, ut diximus, ad Abduam mōtem. Burniūque oppidum extenditur. A proximo autem Larij littore octo millibus passuum distat Morbonium, ab intemperie earum paludum nomen accipiens. Id magnitudine, & diuitijs urbi per simile, nundinis, & frequenti mercatu celebratur. Medio ferme itinere montibus adiacet Delebium, ut diximus, Venetorum clade & templo, quod in ipsa uictoria dux uouerat, insigne. Cæterum de Volturrena alijs sit peculiare negotium: nos ad Lariū conuertimur. Abdua tota ualle demissus nequaquam recta per campos in Larium discursus habet: sed ad læuam in saxa Coderig montis distortus inuehitur, deuoratisq; radicibus tandem ingenitum cautium obice refractus in Larium pellitur, adeo irato & contumaci cursu, ueluti indignatus, ut permisceri nolit, & inter uitreas & liquidissimas undas spumofus, & turbidus deferatur. Ab eius ostio excurrit Larius ad Boream, alio ueluti alueo per octo millia passuum inter altissimos mōtes usque ad eum uicū qui è re nomē habet, Summolacum. Ibi dextrorsus excipitur Mera fluuius, qui Clauēnam oppidum præterlabens, octo millium spatio per uallē cursum intendit. Hæc per interiora Alpium iter habet ad Curiam Rhætiarum. Porro à læua, redeuntibus Suricū non longè ab ostio Mæræ amnis, Metiola uicus, & Nouatum materiæ copia, & disectorijs machinis notum. Coderig enim mōtis iuga, quib. Volturrena & Clauennatium ualles dirimuntur, & larice, & proceris abietibus sunt referta. In asperrimis autem faxis caprearum, & ibicūm greges uisuntur, & eius generis syluestris caper, cui Stambuco nomen est: is colore & magnitudine, uel procerum asinum æquat, oblonga & falcata in humeros cornua demittens, quibus, admirabili naturæ subsidio, morte se eripit, quum a uenatoribus in extremam rupium oram compellitur. contractis siquidem pedibus inserta q; pectori ceruice, in orbem se conuoluit, atq; ita cornuum abside protectus terga, nobili decreto præceps rotę modo illæsus per derupta prouoluitur. Huius generis esse putauerim capreas, quas in tetricę Sabine iugis Rotas appellari M. Varro prodidit. Cæterum à Nouato Rhæti dudū per latera cautium,

ultra Abduge ostiū præcis excauatisq; cautibus uiam duxerunt, ut inde pedibus Volturenā intrent. A dextro uero latere, petentib. Suricū, Dacium ignobilem pagum uidemus. Igitur descripturis aduersam ē Surico regionē, interfacente Lario, Lineonis montis cacumina spectantur. Is altissimus omnium perhibetur, à quo ferunt reliquorū montium seriem perpetua ueluti catena usq; in Dalmatiā extendi. Sub Lineone sunt uberes campi, à capite lacus nomen sumentes, accipitrum aucupijs (nam coturnicibus abundāt) ad oblectationem aptissimi. Cæterum tria omnino promōtoria ab his campis in Larium efferuntur, quæ totidem pisces sinus efficiūt. In his piscatores uimineas caueas per autumnum in profunda uada demittunt: & quum hyeme in his pisces stabulē-
 1. tur, ad prima ueris signa omni piscium genere plenissimas funibus educunt. In primo castellum cum turre conspicitur, & introrsus sinu in medio situm est Colecum uicus. Secundum uero promontorium ædificijs caret. At tertium cæteris amplius, ac amoenius humani pedis similitudinem repræsentat, ueluti per extremam tibiæ partē littoribus adiuncti, ita ut talo Comum, plāta Aduncanū littus, digitis uero superiora duo promōtoria respiciat, tāta littoris enormitate, ut à digitis ad tibiæ iuncturā oblongo, & angusto sinu lacus irrumpat, penē effecta insula in Euripū abiturus, si præcisa ceruice paucorū passuum Isthmus æquaretur. In eius promōtorij digitis cœnobium, quod Plonā uocant, ædificijs agrisq; opulentum uisitur, cum uiridarijs perpetuo muro præcinctis, & pecu-
 2. liari ad eas delicias extructa mole, quæ portum efficeret. sed ea per contēptum Christianæ religionis, auarissimē neglecta, direpta penitus obsolescūt. Ab hoc uero Plonæ promontorio regna tua panduntur, in quæ peruenimus. Incipiūt enim ab Isthmo statim Dorensiū uineta Musiano promontorio aduersa, sicuti Plonæ cœnobio ē regione Grabadona cōspicitur. Inde stadijs fermē duodecim saxo adiacet Corenū cum arce, unius Sigismundi Medici iucūdis ædibus clarum: nam ex perenni & largissimo fonte, qui in hortis multo cum murmure muscosa ē caute profilit, hilariter potat, & ē fenestris hamis & arundine piscatur: ita ut eam uillam non ineptis cōiecturis esse arbitrer, ē qua ille apud Plinium fœdissimi morbi ulcere consumptus, uitæ tædio in Larium se proiecit,
 3. sequente uiri casum admirabili charitate uxore fortissima. A Coreno sensim littora cuneantur, & in cāpos abeunt: in his situm est Delphinum, fertili planicie oppidum, in proximo monte arcē uetustā ostēdens. Inde Varro defluit amnis, qui campos interfecat. Aperiunt sese montes paulo supra arcē, atque inde est iter in Introciam uallem. Sequitur Bellanum ad paruæ pernobilis urbis effigiem, omnibus eruditæ artis ornamentis, & naturæ dotibus admodum illustre, quod ueluti in ditione tua metropolis, portum habet ē quadrato lapide classium capacem, insignēque prætorium iuri dicundo, atque item augusta facie templum, quæ Actius Vicecomes, & Ioannes patruus Mediolanensis archiepiscopus, pari magnificentia, & religione condiderunt. Adiacet Bel-
 4. lano Cultonius ager, generoso uino percelebre: quem demissus ē præalta ualle, ubi arx est, Pluuierna fluuius inundat. In tergo sunt nemorosi montes cum opulenta Saxina ualle, ē qua Turrianos Insulbrum Principes, oriundos fuisse constat: qui postea à Vicecomitibus pulsi, imperio deciderunt. Bellanenses hyeme plurimum algent: sed eorum frigora propinquitate sylvarum facile luculentis ignibus superantur. In eo oppido cæteris præcellunt, quum salubri admodum cœlo æstates uerna temperiē latissimas traducant

Hierony-

Hieronymus, & Dantes Stupani fratres, à multo splendore urbanæ uitæ elegantissimi senes: famamque oppido ingenij dotibus affert Nicolaus Boldonius, in gymnasio Ticinensi medicinam docens: quo comite, monstratoreq; tertrarchiæ tuæ oram descripsimus. A Bellano Varenam petentibus, in medio ferè cursu, promontorium Murca: ad id Cultonius ager finitur. Inde Saxis in circulum sese flectentibus imposita occurrit Varena: cuius oppidi uineris nihil generosius, nihil hortis à citreorum, & medicorum pomorum amœnitate beatius. In aprico enim, & erecto littore odoratæ syluæ perpetuò uirent, ita aptè exceptis in orbem solibus, ut Varenatibus Bellanensium, alterna sorte, autūnus
10 prælongus, & suo tempore suauis, confusa duritiæ hyemis, cum uerna tempe-
rie coniungatur. In ea saxa coloniam Varenam ducere coacti sunt Insulani, Comensium proditione infames: qui & sacra secum tulerunt, quum illi uni eius tractus, Ambrosianos ritus non sequantur. Aedificauere noua in sede binas arces, alteram in humero dextro ad Larium, alteram in edito montis iugo, imminentem ædificijs, & speculam toto à lacu præbentem. Ibi enim maxima Larij latitudo, trifariam se in diuersa proscindētis, ad Pythagoræ literæ similitudinē, uti mox in descriptione Bilacij referemus. Negat se ortum ab Insulanis, quum genus suum altius deducat, Ioannes Maria Scotus, iuriscōsultus inter Varenates facile princeps. Porro in Meridiē molli flexu, circumacta Varenæ saxa per
20 amœnum sinum aperiunt: in quo sacratarum uirginum templum, & mox Lacteus amnis, qui statis temporibus oritur & deficit. Effundunt medij montes ingenti occulto specu, per tubum magnæ fenestræ persimilem, spumofum & propterea aspectu lacteum amnem adulto uere. Sistitur uerò totus paulò ante brumam, adeò exhaustis, ut credi par est, interraneis cauernis, ut sine humoris uestigio, arduus ille in accliu alueus penitus inarescat. Cupiuere nonnulli periculosa curiositate, cum funalibus per fauces intrare antrum, ut eius profluentis admirabilem ortum, atq; obitum deprehenderent: sed in tenebris ad multum spatium progressis, reuerberatus in ora spiritus cum sibilo faces extinxit. Ferunt autem pastores, in illa nascentium alpium cōgeriē, ingenti amphitheatro
30 parem, inter montes depressam, & concauam planitiem reperiri, in quam uernis solibus liquatæ niues ueluti subiecto cratere excipiantur, poroso quidem fundo & sensim conceptas aquas in profundos specus instillante, explenteq; obiter occultas quasdam mensuras: unde postea redundantibus labris expansus, & præcipiti momento temporis decidens effundatur. Lactei amnis aque natura est, ut euecti pisces in ea demersi durante rigore in triduum seruentur, uiui autem, uel dudum capti, contracta lymphæ, celeriter expirent. Propterea ad littus infra molas frumentarias, quas suo impetu decidens conuoluit, ædificata sunt morientium uiuaria, ut inde pisces iumentis ad fora Insubrum exclusa tabe deferantur. A Lacteo, sub perpetuis uinetis, Vaternianum exile pro
40 montorium, & post id, paucorum stadiorum interuallo, aliud eiusdem nominis multo minus, nauigantibus occurrunt. Tum uerò prominet Lierna: & peninsulam in Larium extendit, in qua uestigia muniti olim castelli, & priuata item ædificia uidemus. Hic ager culturæ nequaquam ingratus, aspectu & fertilitate singularis uidetur. In eo enim tractu, quum hinc Larius, atq; subducti montes certatim recedant, planitiem oleæ, & uitibus pulcherrimam relinquunt. Inde sequitur Oleiū olei ferax, nec lapicidinis ignobile, è queis nigerimus lapis exciditur, quo pilares columnas in templo maximo Comi maiores

nostri adfabrè fecerunt, quum nōdum Mulsiana marmora reperissent. Ab O-
 leio uico statim abrupta illa cautes ad Larium intumescit, ita ut cōtegat ex pro-
 pinquo Mandellum oppidum, positura, cœlo, campis ubertate nulli postfer-
 rendam. Despectat subiectum portum eximij operis quadrāgula turris: quam
 tu integere, ornareq; instar prætoriae domus cogitas: sed meo iudicio rectius,
 & luculentius feceris, si designatam in id opus pecuniam feliciore sumptu in a-
 lium locum facili instauratione transtuleris. A Mandello longè maximus eo
 tractu sinus oritur, ad Roboreum usque promontorium pertendens. Introrsus
 sunt diui Georgij templum, mox Teolum, atque inde Laurentiana aedes, Ab-
 batiaq; uicus, & iuxta prominentiam cœnobium Seruiliāni ordinis. Hinc ul-
 tima cuspis sex tantum stadijs ab aduerso littore distans, è qua Sfortiani duces
 nuper inito successu, catenam in aduersum littus protendere cogitarunt, ut ho-
 stiliū classium excursiones impedirent. Refleçtit se statim Roboreum, pan-
 diturq; lacus in suam latitudinem. At in intimo cubiti flexu diui Martini tem-
 plum eminet, & in alto procul à littore Dorbinium oppidulum cum torrente,
 qui in duas partes Roboreum discindit: inde asperæ glabræq; cautes uiam mi-
 litarem ad littus coarctant, ita ut propugnaculo, & porta aditus præcludatur,
 qui dicitur Calodrius. Sequitur Celsimia regio, uino subaustra iucunditate
 admodum clara: desinit ea in præcisas Ludouici Sabellij cautes, miserabilis in-
 teritu infames. Is Calendis Maij, quum in excelsis montibus, festa hilaritate,
 frondosæ ad ornamenta domorum arbores de more à Leucensium iuuentute
 succiderentur, fallente uestigio prolapsus in sinum excelsissimæ cautis decidit,
 suspensus p; exili ramusculo tam diu hæsit, donec, nūciato à præternauiganti-
 bus casu, qui pendentem conspexerant, ad ferendam opem ab uniuerso oppi-
 do cōcurreretur: uerum infelix, quum nec demissos funes occupatis manibus
 deprehendere, nec ardētissimum solem diutius ferre posset, quinque horarum
 cruciatu superatus, inter suspicientium parentum, amicorumq; lachrymas ani-
 mum despondit, & corruit, frustra antè substrato solo, quū penè prius, quam
 illideretur, ui ipsa proscissi aeris exanimatus concidisset. Circumueçti eas ru-
 pes Leucum adimus, munitiois fama, & fori celebritate frequentatū. A Clas-
 rentio, & Calendono annibus includitur. Cingitur muro, & propugnaculis,
 arceq; turrita ad portum opportunè firmatur: nam in proximo sunt Veneti
 imperij limites. Inde Abdua è Lario auctiores undas trahens seipsum rapit,
 peruenitq; ad incomparabilis structuræ pontem: quem tribus inter se diuisis
 exemptili ponte castellis & turribus, totidemq; custodum fidei commendatū
 Vicecomites animi magnitudine priscis Romanis comparandi, ab hinc ducen-
 tis annis ædificarunt. Inde Abdua, pluribus anguillarum excipulis strangula-
 tus, insulam efficit ad Pescarenū uicum, rursusq; arctis faucibus erumpit, & in
 lacum contento cursu diffunditur. A summo lacu, Merçq; ostio per Varenam,
 & inde ad exitum, ad Abduam triginta octo miliarium mensura colligitur. Con-
 tra Leucum montis Barri excelsa cacumina assurgunt. In dextro Barri hume-
 ro, Michaeli templum constituit. Desiderius Longobardorum Rex ultimus,
 sicuti & alij superiores Christiana pietate memorabiles, diuæ Mariæ fanum
 in iugo, quod hodie pro specula uisitur, & cœnobium Cluatense in proximo
 opulenta cum dote cōdiderunt. In ea montis parte, quæ uertitur ad Occasum
 hybernū, Barræ uetustissimæ urbis uestigia spectantur, non longè à Galbia-
 to pago. de Barræ interitu Plinius memorat. At emissio iam Abdua, Larius
 molliter

molliter assurgentis Barri ipsius radices fluctibus alluit, & ad Malgratum uicinum paulatim latiore pelago se insinuat, sed mox excurrente promontorio castigatur: in eo castellum eminet. Sequitur autem in cauo fluxu contra Malgratum per Isthmum nomine Parietes uicus, ueteris oppidi speciem præbens. Inde radices in fertiles cāpos æquantur, pertinentq; à Parietibus fauces peramœnæ ad Eupylim lacū, qui, uti alio loco ostendimus, subito tremore, quassata tellure, cæco aliquo telluris hiatu repente haustos, in minores aliquot lacus abiit, altioribus scilicet uadis subside aqua, quum eminentiores desereret. Ex his maximus est Pusianus tuæ ditionis, ab eo Cluiatensis & Annonius ferè cōiuncti, demumq; Serius ipse, qui piscoso ostio Lābrum emittit, omnes Percarum præpinguium captura notabiles. Plebis Incini lacus, corrupto uocabulo, hodie dicuntur, quum ibi nobis ciuitas fuerit Licinoforum, quam Plinio notam uidemus. Cæterum Larius, ubi camporum margines lambendo præterit, latera demum regalis montis fluctibus pulsat. Is est editissimus, cōtra Roboreū aduersi littoris promontorium, ubi breuissimum traiectum esse, superius ostendimus. Inde recto, nemorosoq; & nusquam uite consito littore Ouium sub rupe exesa, monosyllabo nomine uocatum, unde aperitur uallis Asinæ regio, Lambri fontibus, & familijs ex uetustissima Romanorū nobilitate insignis. In illa enim florent Curiones, Carbones, & Billieni, qui omnes imperio tuo latè

20 parēt. Id, intercedente lacu, apricā Mandelliani agri frontem respicit. Sequitur Vassenna agro syluoso, & uinetis Ouius melior. In eius portu quadrata facie scopuli pedamentum ingentis turris ad nobilitatis indicium ostentant. Inde Alimonta Ambrosianorum cucullatorum secessus, Liernæ opposita. Mosq; piscaliū cum sacratis uirginibus, atque è modico sinu erumpens Bilacium promontorium: quo nihil spectatius, iucundius, salubriusq; reperitur. In iugo Pliniana fuit uilla, quam ille Tragœdiam, quod grandibus scopulis, ueluti focculis sustineretur, appellare solebat, quum inde duos lacus, ueluti duo maria despectaret. Condita demū fuit in eo cacumine arx nobilis è lapide quadrato, quam uti asylum maleficorum hominum, ante centum & quadraginta annos Ioannes Galeacius Vicecomes, Philippi pater, salubri consilio diruit, decreto adiecto, ne in posterum instaurari posset. Propterea Marchesinus Stanpa, quum Ludouici Sfortiæ, è summo gratiæ loco, fortunis uteretur, non in summo, sed media montis regione, ad meridiē uersa fronte Regiam uillam constituit: quā nefaria Cauernionum libidine incendio deformatam aliquot annis uidemus. Infra ad Occasum Bilacium oppidum undis alluitur, totius Larij præfectura, & nobilitate ædificiorum, molisq; peramplæ ante intestina bella clarissimum. Eo promontorio Larius defluens ab Olonia turre, ueluti ingenti rostro discinditur, exitq; in lōgè maximam æquoris planitiem, tribus in diuersa discursibus Pythagoræ literę figuram repræsentans. Triquetrum siquidem interuallo, & fer

30 me æquali, Bilacium, Varena, Minacium, sex millium passuum occupante pelago dirimuntur. Inde ad læuam in aduerso Piscali littore, Lopia uicus cum templo æmulatione religionis sacratarum uirginum domo insigni. Inde sancti Ioannis pagus, cucullatis diui Dominici uberrimas uindemias reddens. In ceruice quoque Bilaci promontori, quod penè præterieram, quum à littore distet, cœnobium Augustinianorum cucullatorum conspicitur, medicis arboribus & cultissimis uinetis refertum, ita ut sacratę uirgines Piscalianæ, Lopianæq; horum cœnobiorum seueritate atque præsidio pudicitiam commodissimè

tueantur. Inde sedecim ferme stadîs Gros gallia Saxa crebris repulsi à Laua-
cto Larij fluctibus uerberantur: ea Saxa ingentes habent specus, in quos bur-
buri pisces stature hominis magnitudinem æquantes, æstate se recipiunt, spe-
ctanturq; tantum uitreo in fundo captantes umbram, quum retia uehementi
impetu effringant, graui p squamarum serie thoracati sagittas uitent. Sequitur
Lecenum, in quinque tenues diuisum pagos, quos inter densissima uineta di-
recta littore conspiciamus. Aquosa inde uina, sana uappæ proxima, agris expe-
tuntur: quibus famam auctoritatemq; attulit Ludouici Sfortie gustus proba-
tibus medicis, qui estuosis uisceribus, calidisq; podagris aptissima iudicabāt.
Nos autem Grianteo, aut Vareniano, cum multa feruent, ad medietatem Le- 1.
ceniana nobili temperamento permiscemus, quæ demum delicatas uires spi-
rant, & nitido cæsis colore salienti in poculis sitientibus arrident. Succedit Ca-
uanæolæ promontorium Arcenniano sinu quem diximus, ad interloquenda
littora auido procursu insertum. In eo tēplum est cum uberrimo fonte, & qua-
drati lapidis parua mole. Aedituus laternam cum lumine, præbentibus oleum
nautis, ad subsidia tempestatum, paucis ante annis protendebat, ut corriuarēt
qui à Lanacteo pharo turbidis noctibus descendebant. Hinc ille sinus maxi-
mè incuruus ad Turnium usque promōtorium per quadraginta stadia disten-
ditur. In quo præcipuam Nesium oppidum in algida caute suspensum, ad æ-
stiuas uoluptates obtinet claritatem. Id præcipiti, frigidissimoq; aine diui- 2.
sum lapideo ponte coniungitur. Ibi captare perennes auras, & conspectu La-
rij, frondosorumq; montium placidè frui festiueq; item ad marmoream men-
sam cœnitare pingui eo secessu gaudentibus licet. Non procul à Nesusio recu-
rui mōtes cubitum ostentant in quo fontem à fuga Seria nuncupatum, multo
murmure, strepentis aquæ nautis frequentatum incumbentes supra castaneæ
arbores connexis inter se ramis decenter à solibus defendunt: nec postea toto
illo sinu ædificia ad littus uisuntur, præter exiguas ad stationes nauium domos,
quæ superioribus pagis certis tramitibus respondent. In conspectu enim sunt
Carenum. Quartianum, Pomponiana, & cæteris fortunatius sita Palætia, exi-
miarum ceparū fertilitate pernobilis, atq; itē Lemna, Molinaq;. Supra hæc ne- 3.
quaquam ardui, & pabulosi montes in acutos apices attolluntur, per quos pa-
storibus sæpissimè agmina ceruorum occurrunt. Hinc ad pauca stadia fons il-
le duorum Pliniōrū præconio & admirabili fluxus & refluxus uarietate me-
morabilis, quem descriptione attingere, non ineptum modò, sed nefas esse pu-
tauerim: ne æmulatione parū ingenua, aliquid rectè addere uideamur: quan-
do illi, diuino florentes ingenio, cuncta, quæ hodie nihil immutato naturæ mi-
raculo contemplamur, incomparabili styli iucunditate nobis expresserint. Suc-
cedunt inde syluæ, uinetaq; Turnensium, & supra ea in edito mons Platus, sa-
cratarum uirginum templo & præalta specula longè spectabilis, & mox ipsum
lunato littore Turni promontorium: in quo oppidum per gradus ædificatum, 4.
noua instauratione reflorescit. Quum enim afflictī aduerso belli successu Gal-
licum nomen contumacius, uel, uti uideri uolunt, constantius coluissent, in-
cendio patriæ intempestiui studiū sui pœnas dederunt. Eandem quoque for-
tunam tulit Parlasca, paucis antè annis oppidum insigne incolarum nobili-
tate, & excelsis domorum structuris, quod modò singulari cum dolore luctuo-
sæ cladis præterijmus. Inde sequitur Blenum, & ipsum uinetis suis, quoniam
Orientem solem non uideant, apud languentes stomacho, dignitatis & gratiæ
famam

famam inueniēs, quum uina leuitate quadam innoxia à tenui innatoq; uigore refractis & dilutis præferatur. A Blenio peruenimus ad uberrimę scaturiginis fontem, quem ab aquarum copia iure optimo Magnum appellant. Inde sequitur Mirabella domus pendenti imposita scopulo, & mox duobus inde stadijs Genium promontorium, in quo uastę amplitudinis ædes cum templo, & uiridarijs, Decurionum decreto pestilentia morboris referuantur. Inde statim flectentibus sese ad læuam ripis: urbs ipsa Comum undiq; turrata conspicitur. Nos uero ad suburbana Coloniolę uertendo proram, uineta, uillas, hortos legimus, & sexto die completo uniuersę adnauigationis cursu, qui per oram centum & uiginti millibus passuum conficitur, unde solueramus intra portus fauces nauem intulimus. Tu uero, qui harum rerum præclarus es æstimator, qua fide scripserimus, facile uidebis. Nihil enim tributum est fabulis, ita ut hinc dissolutę, uagęq; narrationis ueniam impetrare non desperem: quando etiam abs te iussa efflagitataq; non meo quidem, sed alieno potius stylo tractauerim. Nec tamen dispudet tantisper ab hystorię seueritate discessisse, ut studium nostrum uel hac una erga te liberali comitate testaremur: nam qui tanto ore raptam Helenam cecinisti, remissiore fortasse musa Larium decantabis, uel uno Bembi exemplo, qui Benacum Giberto Mœcenati nostro, iucundissimę descripsit. Tabulã quoque huic ioculatorio labori nostro coniunximus, ad locorum 2. mensuras exactissimę delineatam: quę fortasse erit ipsis Commentarijs, lenocinante pictura iucundior. Sed hoc imperiti uiderint. Tu certę intelliges mutas, & inanes fore tabularum figuras, nisi literarum lumen accesserit.

F I N I S.

P A V L I I O V I I

NOVOCOMENSIS MEDICI, ET E.

PISCOPI NVGERINI DE ROMANIS

30

piscibus libellus, ad Ludouicum Borbonium Cardinalem ampliss.



*V*ADES Reuerendissime ac illustrissime Domine, qui etiam iure optimo compellere potes, ut ea literis tradam, quę de Romanis Piscibus eruditę atq; subtiliter fuere disputata, quum te & Ioannem Lotharingum præclarissimi ingenij Cardinalem Clemens Pontifex familiari conuiuio, ueluti animum remissurus, hilariter excepisset. Res est cognitu tractatuq; difficilis, cum propter infinitam ferę naturę piscium uarietatem, quę me & plerosque alios admodum curiosos hætenus ir-
4.0 rito labore fatigauit, tum propter incredibilem scriptorum discrepantiam, qui ex multiplici linguarum uarietate perpetuas huiusmodi studijs tenebras offuderunt. Quibus de causis necesse est, ut animus rei difficultate permotus, totum hoc munus, quod maioribus doctrinæ, exactiorisq; neruis esse extendendum, haud mediocriter reformidet. Sed ea est dignitas amplitudoq; tua, & morum suauitas cum singulari optimarum literarum cupiditate coniuncta, ut honoris mei uel gloriolę, si quā ingenuis studijs parta est, iacturam planę facere, quàm honestissimo desiderio tuo penitus deesse malim. Verum tu postea iudicaueris, an ego, qui rem tam difficilis